Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



tabulatorum. Ygo geum est constructum sub terris edificium quod nos antrum vel speluncam dicimus. Solarium quod soli et auris pateat. Quales fuit locus in quo dauit bethsabee lauantem aspexit. et adamauit. Cum hierosolimam antiochus obsideret. hircanus princeps iudeorum reserato dauit sepulchro tria milia auri talenta inde abstraxit. ex quibus xxx antiocho dedit. ut obsidionem relinqueret. atque ut facti in iudiam demeret. Ferunt ex reliqua pecunia instituisse primus xenodochia. quibus aduentum susciperet pauperum et peregrinorum. unde et uocabulum sumpsit. nam ex greco in latinum xenodochium peregrinorum susceptio nuncupatur. Vbi autem egrotantes de plateis colliguntur missio comion grece dicitur. In quo consumpta languoribus atque in ediis miserorum membra fouentur. De edificiis sacris.

Sacra sunt loca diuinis cultibus instituta ut pute ea in quibus altaria litantibus de more pontificum consecrantur. Sancta uixta ueteres exteriora templi sunt. Sancta autem sanctorum loca templi secretiora. ad quae nulli erat accessus nisi tantum sacerdotis. Dicta autem sancta sanctorum quia exteriori oraculo sactiora sunt. vel quia sanctorum comparatione sanctiora sunt. sicut cantica canticorum quia cantica uniuersa precellunt. Sanctum autem a sanguine hostie nuncupatum. Hic enim sanctum apud ueteres dicebatur. nisi quod hostia sanguinis esset consecratum. aut aspersum. Item sanctum quod extat sanctitum esse. Sancire enim autem confirmare. et interrogatione pene ab iniuria defendere. sic et leges sancte et mores sancti esse dicuntur. Propiciatorium oracula dicta eo quod inde responsa dantur. et oracula ab ore. Penetralia sunt secreta oraculorum. et penetralia dicta sunt ab eo quod est penitus. i. pene intus. Oratorium orationi tantum est consecratum in quo nemo aliud agere debet. nisi ad quod est factum. unde et nomen accepit. Monasterium unius monachi habitatio est. monos enim apud grecos solus. sterio. statio. i. solitarii habitatio. Cenobium vero ex greco et latino uidetur esse compositum. Est enim habitaculum plurimorum in comune uiuentium. Ceno enim grece commune dicitur. Templi nomen generale est pro locis enim quibuscumque magnis antiqui templa dicebant. et templa dicta. quasi tecta ampla. sed et locus designatus ad orientem. ac contemplatione templum dicebatur. Cuius partes iiii erant. antica. ad ortum. postica ad occasum. sinistra ad septentrionem. dextra ad meridiem expectans. unde et quando templum construebant orientem exspectabant equinoctionalem. ita ut linee ab ortu ad occidentem misse fierent partes celi. dextra ac sinistra equales. ut dum consulerent ac deprecarentur rectum aspicerent orientem. fana dicta a faunis quibus templa error gentilium construebat. unde consulentes demonum responsa audirent. Delubra ueteres dicebant. templa fontes habentia quibus ante ingressum diluebantur et appellari delubra a diluendo. ipse sunt edes cum sacris fontibus in quibus fideles regenerati purificantur. et bonum quodam presagio delubra sunt appellata. Sunt enim in ablutione peccatorum. fons autem in delubris locus regenerationis est. in quo septem gradus in spiritu sancti misterio formantur. tres in descensu. et tres in ascensu. septimus vero is est. qui et quartus. i. similis filio hominis. extinguens fornacem ignis. stabilimentum pedum. fundamentum aque in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Basilice prius uocabantur regum habitaculi. unde et nomen habent nam basilius rex et basilice regie habitaciones. nunc autem ideo diuina habitacula basilice nominantur. quia ibi regi omnium deo cultus et sacrificium offeruntur. Martirium